

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae XVI.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-219543)

minatos, Plinius significabat lib. II. c. 37.

Parum plane] Quia Coelius, ubi deprehensus esset Ocella, significare noluerat. vide lib. 8. epist. 10.

In actis] Quibus urbanae res singulorum dierum scribebantur. Tacitus lib. 3. Annal. c. 3. *Matrem Antoniam, non apud auctores rerum, non diurna actorum scriptura reperio, ullo insigni officio functam.*

Trans montem Taurum] Vbi erat Cicero, cum de Matrinio cognouit.

De Matrinio] Matrinium, scribam aedilicium, nominat in orat. pro Cluentio c. 45. Videtur Coelius aedilis curulis aliquid aduersus eum, vel etiam pro eo, reipublicae aut amicitiae causa fecisse.

Sit auditum] Non igitur Coelius id scripserat.

Etesiae] Venti a Septemtrione ad Occidentem, inde in Orientem flantes, vt lib. 2. Met. docet Aristoteles: itaque cursum Ciceronis impediabant, in Italiam ex Graecia nauigantis. Flare incipiunt VI. id. Iul. diebus octo ante caniculae ortum, vt ait Columella, nec desinunt nisi post dies XL. auctore Plinio. Gignuntur, vt eodem libro docet Aristoteles, humorem dissolvente Sole in Septemtrionis regione collectum. lib. 12. epist. 25. et lib. 15. epist. 11. et lib. 6. ad Attic. epist. 7. et 8.

Celeriter] Iam enim de prouincia decesserat: quod paullo ante dixit.

EPISTOLAE XVI.

ARGUMENTVM.

Tribus annis epistolae Ciceronis ad Coelium datae sunt: prima, secunda, tertia, M. Marcello, Ser. Sulpicio coss. quarta, quinta, sexta, septima, octaua, L. Paullo, C. Marcello coss. nona L. Lentulo, C. Marcello coss. Haec ultima respondet iis litteris, quibus eum Coelius obscurauerat, ne se cum Pompeio coniungeret, sed in opidum aliquod bello vacuum recederet, donec armis ciuili contentio diiudicaretur. earum litterarum initium est: exanimatus sum tuis litteris, lib. 8. epist. 16. Magnum, inquit Cicero, dolorem ex litteris tuis accepissem, nisi diuturna mihi rerum desperatio paene omnem iam doloris sensum ademisset. Nec vero consilium meum hoc fuit, vt pro Pompeio contra Caesarem pugnarem, sed vt in aliquas fortasse solitudines discederem. nihil enim ciuilibus armis odiosus. Caesaris ira non me mouet, cum eadem omnibus calamitas impendere videatur. Filius meus, cuius causa vis me mihi carum esse, ac de mea calamitate laborare, si erit aliqua respublica, sustentabitur memoria nominis mei; si nulla, cum reliquis ciuibus concidet. De genero meo Dolabella, noli dubitare, quin eam, quam debeo, curam suslineam. Hispaniensis belli exitum non expecto: quorsum enim? aut mihi, incolumi ciuitate, locus erit: aut, perditam, quod reliquum est vitae, in solitudine traducere deliberatum est. Verum haec fortasse meliorem exitum habebunt. Tu tamen, ubicumque

que ero, me liberosque meos, ut nostra postulat amicitia, diliges, ac tuebere. Negotialis est epistola, quia de itione ad Pompeium disserit, quod Coelius dissuaserat. C. Marcello L. Lentulo coff.

EXPLANATIO.

Magno dolore] Quia tota Coelii epist. 16. scripta est miserabiliter, praesertim in eo loco: Si tibi tu, si filius unicus, si domus, si spes tuae reliquae tibi carae sunt: si aliquid apud te nos, si vir optimus gener tuus valet etc. Et lib. 10. ad Attic. epist. 9. M. Coelii epistolam, scriptam miserabiliter, cum hoc idem obsecraret, ut expectarem, ne fortunas meas, ne unicam filiam, ne meos omnes tam temere proderem, non sine magno fletu legerunt pueri nostri.

Ratio ipsa] Quae nihil dolendum ostendit, quod absit a culpa.

Desperatione rerum] Cum iam pridem de republica desperauerim.

Obduruisset] Sic, ut nouum dolorem non sentiat. lib. 4. epist. 5. Qui non in illis rebus exercitatus animus callere iam debet? lib. 9. epist. 2. Consuetudo diuturna calidum iam obduxit stomacho. lib. 2. ad Attic. epist. 18. De Statio manumisso, et nonnullis aliis rebus, angor quidem, sed iam prorsus occallui. lib. 13. ad eundem epist. 2. Sed iam ad ista obduruimus, et humanitatem omnem exuimus.

Ex meis superioribus litteris] Hae litterae non exstant.

Querelam temporum] Accusabam tempora: nihil tamen me triste cogitare, quod tu scribis, ostendebam.

Sollicitum haberet ERN. haberens] Sollicitarent; ut lib. 7. epist. 3. Sollicitum te habebat cogitatio tum

officii, tum etiam periculi mei. Eodem modo lib. 9. ad Attic. epist. 19. et lib. 16. epist. 1. mare infestum habere, pro infestare. quo modo etiam locutus est lib. 3. de repub. apud Nonium. et Varro ia libris Rerum humanarum, multa, inquit, loca, infesta habuerunt singulari latrocinio. Sollicitabant autem Ciceronem tempora, quia belli ciuilis, id est, publicae calamitatis, initia videbat.

Ab excitata fortuna ad inclinam] Excitata Caesaris, inclinatam Pompeii: cum Caesar Italiam, eiec-to Pompeio, teneret. translata sunt, excitata, inclinam, iacentem.

Collectam gratiam effunderem] Alia translatio, nec obscura sententia.

Florentissimi hominis] Caesaris, cuius ita prospera fortuna erat, ut nihil ei deesse videretur.

A meque ipse deficerem] Qui semper id egi, ne ciuili bello interesssem.

Initio] Belli ciuilis.

Meum triste consilium] Quod ostenderat in litteris ad Coelium.

Vt discederem fortasse] Non ut irem ad Pompeium; quod tu suspicatus es; sed ut discederem fortasse in aliquas solitudines; non modo ut abessem a bello, sed etiam, ne quosdam homines viderem, quorum indignitatem fastidiunt oculi mei. Notat quorundam Caesarianorum insolentiam, qui, Caesare urbis potito, nimis arroganter se iactarent, bonosque viros, id est opti-

optimates, quorum in numero Cicero erat, contemnerent.

Quondam] Significat illud tempus, quo Coelius contra ciues improbos pro republica senferat. nam, vt Cicero scripsit in Bruto c. 79. talis tribunus plebis fuerat, *vt nemo contra ciuium perditorum popularem turbulentamque dementiam a senatu, et a bonorum causa steterit constantius.*

Oculorum] Nec stomachus, inquit, meus, nec oculi quosdam homines ferre possunt. itaque solitudinem fortasse cogitavi.

Indignitate] Quod ab iis, contra quam deceat, multa fiant. scripserat Coelius epist. 16. *Si nonnullorum hominum insolentiam et iactationem ferre non potes: eligas, censes, aliquod opidum, vacuum a bello.* lib. 9. epist. 2. *Putaret, me idcirco discedere, quod quosdam homines oculi mei ferre non possent.*

Pompa liſtorum] Liſtores habebant, quicumque erant cum imperio. Cicero autem e prouincia reuersus, nondum in urbem introierat, spe triumphi: quod urbem ingredientibus deponendum erat imperium, nisi si triumphantes introirent: quo die tantum lex imperium in urbe dabat. habebat igitur secum liſtores, eosque cum fascibus laureatis, et imperator vocabatur. quo fiebat, vt in solitudinem, et in latebras abdere se non posset. *Pompam* vocat, quia liſtores cum laureatis fascibus praefati praebant.

Onere] Quidam libri, *honore*. placet, *onere*: vt ad illud respondeat, *molesta haec pompa*; et cum stomacho dictum sit: quod, qui

specie sit honor, ei vere tali tempore sit onus.

In uoculas] Qui praeferrī uident laureatos fascēs, aliquid in nos contumeliose dicunt: quasi stulte cogitemus de triumpho, pulso iam Italia Pompeio, quem secuti sumus.

De profectione] Ad Pompeium, in Graeciam. iam enim mare transierat.

Vobis] Te, et meis.

Mea praediola] Propinqua mari: de quibus uide lib. 14. epist. 14. et 18.

Neceſſe eſt] Non quia navigationem cogitem, sed ne amicis molestus hospitio sim. sic lib. 7. epist. 23. *Libentius enicrim diuersorium Terracinae, ne semper hospitii molestus sim.*

In maritimis] In villis et opidis, ad mare sitis.

In maritimis facillime sum] Pro, libenter sum: vt lib. 12. ad Attic epist. 34. *Ego hic vel sine Sica (Tironi enim melius est) facillime possem esse, vt in malis.* Et lib. 2. de Offic. c. 19. *Diserti igitur hominis, et facile laborantis, quodque in patriis est moribus, uultorum causas, et non grauate, et gratuito defendentis, beneficia, et patrocinia late patent.*

Navigare] Ad Pompeium.

Qui conuenit] Mihi, qui se nper pacis auctor fui. lib. 7. epist. 23. *Martis signum quo mihi, pacis auctori?*

Contra eum] Caesarem.

Satisfecisse] Quod adhuc me cum Pompeio non coniunxerim, nec interesse bello uoluerim.

Nullomodo] Licet ad Pompeium nauigem, non tamen ei plane satisfaciam: quia serius ad eum, quam

quam voluerat, iuerim. Respondet ad eam Coelii sententiam epist.

16. Denique illud cogita: quod offensae fuerit in ista cunctatione, te prius subisse. nunc te contra victorem facere, quem dubiis rebus laedere noluisti, et ad eos fugatos accedere, quos resistentes sequi nolueris, summae stultitiae est.

Mibi obuiam venisti.] Ad urbem ex provincia reuertenti.

Non te celauit sermonem T. Ampii: vidisti, quam abhorrerem ERN. *Sed nonne tum prouidisti.]* Emdaudi (sic enim arbitror) locum ex coniectura, adiuuante veterum librorum varietate: quorum habet vnus meus, et alter, qui Leonici fuit, *sed sermonem tuum prouidisti:* alius, *sed nomen tuum prouidisti:* Sigonii vnus, *sermonem tuum prouidisti:* alter eiusdem, *si nomen tuum prouidisti:* cum quo video consentire veterem item librum, quem praestans ingenio et doctrina vir, mihiq; carissimus Pax Scala, sumptum ab optimo, et in primis erudito Ottonello Discalcio, proximis diebus ad me attulit. Fuluii Ursini, doctissimi viri, vnus, *sermonem tam piū audisti.* Mediceus et ipse, vt arbitror, mendose, *sermonem Tampii vidisti.* cum quo videtur consensisse liber Petri Pagani, in quo nunc, derasa charta, legitur, *sermonem tam piū vidisti.*

Ab urbe relinquenda.] Quod Pompeii consilium Cicero numquam probauit. testes ad Atticum epistolae.

Omnia potius.] Rebus omnibus a Pompeio, et ab iis, qui, Pompeio duce freti, bellum ciuile cupierunt, pessime gestis.

Nihil tam fugisse.] Quod ostendit, sero admodum ad Pompeium

profectus, de quo sic ad Marcellum lib. 4. epist. 7. *Neque tu multum interfuisti rebus gerendis, et ego id semper egi, ne interessem.* Et ad Caecinam lib. 6. epist. 6. *Susceptum bellum est, quiescente me; depulsum ex Italia, manente me, quoad potui.*

Q. Hortensium.] Ciceronis aemulum in eloquentia.

Bello ciuili.] Sullanis temporibus gesto.

Non arbitror.] Ob ea, quae fortiter in consulatu gestimus. lib. 5. epist. 2. suam in consulatu fortitudinem nominat.

Nec me ista terrent.] Scripsit ad Coelium epist. 16. *Si existimas eandem rationem fore Caesari in dimittendis aduersariis, et conditionibus ferendis, erras. Nihil nisi atrox et saeuum cogitat, atque etiam loquitur.*

Mones, vt caueam.] Coelii verba sunt epist. 16. *Cogita, ne te tuosque omnes funditus euertas: ne te sciens prudensque eo denittas, vnde exitum vides nullum esse.*

Redemissum.] A republica in me ipsum transtulistem. redimit enim, qui aliquid in se recipit: et publicani, vectigalia suo periculo conducentes, redimere dicebantur.

In memoria ERN. *Memoriam nominis mei.]* Egregia sententia, egregieque dicta: memoria nominis mei, si erit vlla respublica, [satis amplum filio meo patrimonium futura est. In orat. pro domo c. 58. *Liberis nostris satis amplum patrimonium paterni nominis ac nostrae memoriae, relinquemus.* Et lib. 1. de Offic. c. 33. *Optima hereditas a patribus traditur liberis, omnique patrimonio praestantior,*

tior, gloria virtutis, rerumque gestarum. Sic et Hocrates ἐν τῷ πρὸς Νικοκλέα, περὶ τῆ βασιλεύειν. Περὶ πλείονος ποιεῖ, δόξαν καλὴν ἢ πλεον μέγαν τοῖς παισὶ καταλιπεῖν· ὁ μὲν γὰρ ζυητός, ἡ δὲ ἀθάνατος.

Generum meum] P. Cornelium Dolabellam.

Adolescentem optimum] Coelius virum optimum appellat lib. 8. epist. 13.

Hæc tamen ERN. Haec tantum] Nonnulli veteres libri, *tamen*: quod ideo magis placet, quia verbum, *oblectabar*, quod in communibus miseriis locum habere non videtur, excusat.

Specula] Vnde nata? e communibus miseriis, id est, e civili bello: quod aeris alieni molestia Dolabellam meum liberabit. quæ mihi in tantis malis, unica oblectatio est. *Speculam* vero potius, quam spem, vocat, non quia reuera exigua spes esset: (plane enim videbat, cum iam Cæsar vrbe Romæ, vniuersaque Italia potitus esset, fore neminem, qui Dolabellam, Cæsaris amicissimum, de creditis pecuniis auderet appellare: itaque, quod ad Dolabellam attinet, spes illa summa erat) sed quia, si cum publica calamitate conferretur, minimum quiddam esse videretur. Sic Philip. 10. c. 5. *Erat ei Specula in C. Antonio.* Et Plautus in Persa Act. 2. Sc. 5. v. 9.

Ecquid, quod mandavi tibi? estne quid in te speculae?

Aduertit Priscianus lib. 3. *In es producta desinentia, feminina tertiae declinationis vel quintae, abiecta s, assumere cula, et facere diminutiuum, et seruare e productam, ut dies, diecula, res, recula: et reliqua similia, exceptis duobus, mer-*

ces, vnde mercedula, non meracula; et apes, vnde apicula, non apecula.

Abiis molestiis] Ab aere alieno: cuius causa, ut creari tribunus plebis posset, plebeius postea factus est, legemque de tabulis nouis promulgauit, de quo queritur Cicero lib. 11. ad Attic. epist. 23. his verbis: *O dii, generumne nostrum potissimum, ut hoc, vel tabulas novas?* Dio etiam hoc aperte narrat lib. 42.

Libertate ERN. Liberalitate sua] Immoderatos generi sumptus honesto nomine *liberalitatem* appellat. Miror hic nonnullis placere, *libertate*, referentibus ad Appii accusationem. quasi vero Dolabella de Appio, eiusque amicis, propinquis, amicis valde laboraret: aut illa propter Appium Cicero subiungere debuerit: *Velim quæras, quos ille dies, etc.* quis nescit, viros nobiles ab adolescentibus gloriæ cupidis accusari solitos esse, nec ideo tamen eorum inimicitias timori fuisse?

Quam acerbos sibi] Cum satisfacere creditoribus non posset.

Hispaniensem casum] Hispaniensis belli exitum. Coelii verba epist. 16. *Quod si totum tibi persuadere non possum: saltem, dum, quid de Hispaniis agamus, scitur, expecta; quas tibi nuncio aduentu Cæsaris fore nostras.*

Ita esse, ut tu scribis] Venturas esse in Cæsaris potestatem.

Astute] Astute agerem, si exitum Hispaniensis belli expectarem, ut ex eo vel manendi, vel discedendi consilium caperem; manendi, si Cæsar vinceret; discedendi, si durior fortuna idem vteretur.

In

In easdem solitudines] Simulare Ciceronem ne putemus, quod, cum hic se solitudines cogitare ostendat, ad Pompeium tamen paullo post nauigauerit. diu enim quid ageret, incertus consilii fuit; cum ad Pompeii societatem officium ac pudor impelleret; ad mansionem autem non modo preces amicorum, sed propinquorum etiam lacrumae hortarentur. Lib. 10. ad Attic. epist. 9. *Melitam, opinor, capeſſamus, dam, quid in Hispania: quod quidem propmodum videor ex Caesaris litteris ipsius voluntate facere posse; qui negat, neque honestius, neque tutius mihi quidquam esse, quam ab omni contentione abesse. Dices, ubi ergo ille tuus animus, quem proximis litteris? adest, et idem est. sed vinctam meo solum capite decernerem! lacrimae meorum me interdum molliunt, precantium, ut de Hispaniis expectemus.*

Vaticinor] Non, diuino, sed, alucinor, et insanio: ut in orat. pro Sextio c. 10. *Eos, qui dicerent, dignitari esse seruendum, reipublicae consulendum, officii rationem in omni vita, non commodi, esse duccendam, subeunda pro patria pericula; vulnera excipienda, mortem oppetendam: vaticinari atque insanire dicebat.*

Desperationes] Contententibus de singulari potentia Sulla et Mario: quo tempore senes boni viri numquam fore sperabant, ut salutem ac dignitatem afflicta respública recuperaret.

Aetatis vitio] Friget enim, ac deficit in senectute sanguis, et cum sanguine animus. itaque non facile ad melioris fortunae spem erigitur. quod tamen euenit contra, Sulla mortuo.

Sed tamen] Potest omnino fieri, ut aetatis utar vitio, ut illi; qui desperem, cum desperandum fortasse non sit: verumtamen pessimo in statu rempublicam esse, ex eo cognoscitur, quod magistratus Oppio paratur, Caesaris amico, qui, respública salua, contemptus iaceret.

Togam praetextam] Quinque hominum genera praetextis togis utebantur, pueri, ad ineuntem aetatis annum 17. magistratus omnes, vel urbani, vel qui erant in coloniis et municipiis; magistri ludorum compitaliciorum; senatores, cum deorum festos celebrabant dies; sacerdotes, quorum e numero augures erant. Triumphantes quoque praetexta vsos esse, videtur indicare Valerius Max. lib. 7. c. 1. cum ait: *Consulatus decus, imperatoriam potestatem speciosissimi triumphi praetextam largita est.* Sed hoc praetextae genus ab illo superiore, quod in quinque hominum genera distribuimus, aliquo distinctum fuisse ornamenti genere, omnino crediderim. Cicero, Liuius, Pedianus, Macrobius, alii.

Curtius] Fortasse est Postumus Curtius: de quo lib. 9. ad Attic. epist. 2. *Currens ad illum Postumus Curtius venit, nihil nisi clasſes loquens, et exercitus: eripiebat Hispanias, etc.* Quibus ex verbis, amicum Caesaris fuisse, constat.

Dibaphum] Purpuram bis tinctam, praestantiorē ea, quae semel tangebatur: ut ostendit lib. 9. c. 39. Plinius. Auguratum arbitror significari. nam lib. 2. ad Attic. epist. 9. *Vatinius, ait, strumam sacerdotii*
διβάφην